

*Digest. Tit. 3. Digesto 4. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. Inventum est etiam Lib. 50. Tit. 17. Digesto 102. quod ægre, æquitate tamen postulante, consuetudinem transgredimur.* Theodorus Balsamon scholiis in hunc Nomocanonem exponit, quem locum in Basilicorum libris allata a Photio ex Pandectis testimonia occupent: nam Photii tempore, quando hunc Nomocanonem edidit, nondum Libri Basilicorum, saltem uti post Leonem Sapientem a Constantino Porphyrogenito filio, publicam lucem viderant. Ait ergo Balsamon Schol. in c. 3. Tituli Primi. *Digestum IV. tit. 3. Libri I. Digest. est lib. Basilicor. 2. tit. 1. cap. 41. quod sic ait: De quibus causis nulla scripta Lex est, custodiri oportet mores & consuetudinem. Quod si hæc defecerint, proxima propositæ questioni similia sunt sequenda. Si, ne hæc quidem inveniantur, tunc jus, quo urbs Roma utitur, servari oportet.* Et thematicè 2. *Inveterata consuetudo pro lege custoditur.* &c. *Digestum vero 102. tit. 17. Lib. 50. est caput 183. tit. 3. Libri 2. Basilicor. quod sic habet: ægre quidem, at certe tamen æquitate exigente, mutamus consuetudinem.*

*Cap. 14. Siquis tamen apud nos castratus sit, liber fit, si servus fuerit, etiamsi propter morbum castratus sit, ut lib. 4. Codicis, Tit. 42. Constit. 1. & lib. 48. T. 8. Digestum 3. 5. 6. XI. Balsam. Schol. Titulus 8. Libri 48. Digest. est in Libro 60. Basilicorum, T. 39. Hæc vero capita omissa sunt, & non posita.*

*Titulo II. cap. 1. lib. 1. Digestorum, tit. 8. Digestum 1. dicit, res sacras divini juris, ac in nullius bonis esse. Res autem sacra est, quæ publice consecrata est. Nam quæ hominum privatorum sunt, non sacra sunt, sed profana. Si vero ædificium sacrum collapsum fuerit, locus sacer manet, ut Digesto 6. Consecrantur vero loca & in civitatibus & in agris. Locus publicus citra iussum Principis non fit sacer, ut Digesto 8. & 9. Res sacra non recipit æstimationem, ut Digesto 10. lib. 1. Tit. 16. Digest. 7. Magistratus aedes sacras inspiciunt, ac ornandas curant. Lib. 2. tit. 14. Dig. 60. Non recte quis pacificetur, ne locum suum dedicat. Lib. 6. tit. 1. Digest. 23.*